MATUTINALE CUM DIURNALI ATQUE MISSALE CISTERCIENSE
Stams, 3. Viertel 14. Jh. Seite 49r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



ritum facit ad euacuandam promissionem. Lectio tercia.
Si ex lege hereditas iam non ex promissione. Abrahe autem
per repromissionem donauit deus. Quid ergo lex. propter
transgressiones posita est. donec ueniret semen cui pro
misit ordinata per angelos in manu mediatoris. Lectio ii.
Mediator unius non est deus autem unus est. Lex ergo
aduersus promissa dei. Absit. Si enim data esset lex
que posset uiuificare. uere ex lege esset iusticia. Sed conclu
sit scriptura omnia sub peccato ut promissio ex fide ihesu christi
daretur credentibus. Lectio iii. Prius autem quam ueni
ret fides. sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem
que reuelanda erat. Itaque lex pedagogus noster fuit in christo
ut ex fide iustificemur. At ubi uenit fides iam non sumus
sub pedagogo. Lectio iiii. Fratres omnes filii dei estis per
fidem in christo ihesu. Quicumque in christo baptizati estis christum
induistis. Non est iudeus neque grecus. non est seruus
neque liber. non est masculus neque femina. Omnes enim uos
unum estis in christo ihesu. Si autem uos christi. ergo abrahe semen
estis secundum promissiones heredes. Item lectio prima.
Quanto tempore heres paruulus est nichil differt a
seruo. cum sit dominus omnium. Sed sub tutoribus et actoribus est
usque ad prefinitum tempus a patre. Ita et nos cum essemus par
uuli sub elementis eramus mundi seruientes. At ubi ue
nit plenitudo temporis misit deus filium suum factum ex muli
ere. factum sub lege. ut eos qui sub lege erant redimeret.
ut adoptionem filiorum reciperemus. Lectio secunda.
Quoniam estis filii dei. misit deus spiritum filii sui in cor
da nostra clamantem abba pater. Itaque iam non est ser
uus. sed filius et heres per deum. Sed tunc quidem ignorantes de